

ab Euclide dicitur pro multiplicatione: sic septimo libro *συνθετός* compositus numerus factus multiplicatione, & sic quinta propositione οὐκ *συνθετός* λόγος composita ratio dicitur, quæ fit multiplicatione alternorum laterum, & sic in 5 d 6 quantitates in se ipsas multiplicatæ rationem componere dicuntur. Itaque prima hæc causa nulla est, cur potius hic additio quàm multiplicatio intelligatur. Secunda causa est, quod Euclides aliam multiplicandarum rationum doctrinam tradidit 10 d 5 & postea cum duplicare triplicare rationem dicit. Itaque si illa multiplicandarum rationum doctrina ab hac diversa sit, necesse videatur hanc non esse multiplicandarum, sed addendarum rationum doctrinam. Sanè huic argumento verè responderi posset 5 d 6 ab Euclide generalem multiplicandarum rationum doctrinam doceri, alias specialem, nempe quadratam cubicam. Nam duplicare rationem est terminos rationis bis ponere, & ita multiplicare, triplicare ter ponere, & ita multiplicare. Sic ratio  $\frac{2}{3}$  duplicata facit rationem  $\frac{4}{9}$ : sic eadem ratio  $\frac{2}{3}$  triplicata facit rationem  $\frac{8}{27}$ . Sic enim sunt multiplicandi termini  $\frac{2}{3}$ . Item  $\frac{2}{3}$  ut satis patet 10 d 5. Quare si docuerit Euclides generalem multiplicandarum rationum doctrinam, non est alienum ab eo specialem ejus usum tradi: multiplicandi enim species sunt duplicare triplicare. Ad secundum autem argumentum addi potest ex autoritate scholii græci ad hanc definitionem appositi. At hic scholiastes si tamen unus est, in prima parte facit multiplicationem quantitarum, per nominatores rationum. In fine autem secundæ partis ait: Si à composita ratione altera subducatur, alteram relictum iri, nec dicit quomodo. Nam si simpliciter à 6 nominatore sextuplæ rationis subducatur 2 nominator duplæ, relinquetur 4 nominator quadruplæ, qui reliquus non erat, cum esset 3 nominator triplæ rationis. Itaque ut sibi cõstaret, debuit dicere subtractionem fieri divisione, quia additio fieret multiplicatione, sic divisio 6 per 2 quotus ostenderet 3 nominatorem reliquæ rationis, at tamen nominibus abuteretur. Quare hic interpretes *συνθεσίῃ καὶ ἀφαίρεσίῃ* quidem appellat, at multiplicationem terminorum & divisionem re ipsa dicit. Quare hic incertus author nihilo certiores nos efficiet. Denique ut totum concludam, talibus argumentis non cõcluditur simplicem additionem rationum ab Euclide à multiplicatione diversam definiri. Verum tamè potius animadvertendum, quod contra differitur. Alexander enim, Achillinus & Volumnius, qui additionem rationum à multiplicatione separant, magnum sententiæ suæ argumētum videntur afferre ab experientia & exemplo rerum naturalium, id est rerum numeratarum, ut equus (aiunt) vehat pondus aliquod, cuius triplum vehere possit, alter vehat idem pondus & quadruplum vehere possit, jam duo ad unum idemque pondus jungantur equi, ecquænam virium ad pondus ratio erit? septula, respondent authores hi, cuius sententiæ fidem exempla antiquorum confirmant. Aristoteles enim Theone & Euclide antiquior pro Volumnio & Achillino facit, cum isto additionis genere tertio rhetorico videatur uti, dum Pæanis quartum dactyli longa una, & brevibus duabus constantis: tum Jambi brevi & longa compositi, in quibus omnibus syllaba brevis unum tempus, longa syllaba duo valet. Stantur igitur termini horum pedum, dactyli & Jambi per sua tempora, dactylus

RR